



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. XI. De Cruce & Indulgentia Crucesignatororum terrae Pruschiae &  
Livoniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

tus. *Quam gloriosus iste fuerit in omnibus factis testantur Magnifica facta.*

## ANIMADVERSIONES.

## AD CAPUT X.

- (a) Ab aliis hunc Magistrum dictum fuisse *Saltze* testatur *Balth. Russovy part. II. Chron. Livon. initio.* & suspicatur eum sic dictum fuisse ob fortitudinem & res præclare gestas.
- (b) *Simon Grunovius* dicit *Hermannum* à *Balke* objisse An. 1238. sepultumque esse in *Zantir*. *Vid. Granov. tract. 2.* Sed quicquid sit de anno mortis; in *Zantir* non potuit sepeliri, quia tunc urbs illa nondum fuerat condita. *Vid. infra Cap. XLIV.* Notandum verò hic est in *Annis Magistrorum tum Generalium tum Provincialium* nihil esse certi. Quoniam enim *Dusburgius* noster certum annis ab ingressu Fratrum Ordinis Teutonici in *Prussiam* *Chronicon* suum scripsit, nullosque antè se habuit eorum temporum *Scriptores*, facile potuit aberrare. *Sequentium temporum* *Scriptoribus* prior adhuc fuit ad lapsum via. Et licet aliquando curiosius, annos quidam annotarint, conqveritur tamen de illis *Simon Grunovius* quod anni illi in *Codicibus* vetustis, quoniam fuerunt *cyfris* consignati, mirè fuerint corrupti, indè veniam sibi dari postulat, si in assignandis annis aberraverit. *in præfat. ad Hist. Pruss.* Quinimò non de *Annis* tantum *Magistrorum* hoc est intelligendum, sed de ipsis quoque *Magistris* hoc verum esse animadvertet, qui antiqua *Chronica* perlustrabit. *Vide quæ infra ad vitam Conradi Landgrav. Thuringia & Hassia; item ad vitam Popponis deosterna Cap. 29. & in Incidentibus ad Cap. 69. notavimus.*

## CAP. XI.

De

## Cruce &amp; Indulgentia Crucesignatorum terræ Pruschiæ &amp; Livonia.

FR. Hermannus de Saltza Magister generalis vir providus & in

in omnibus circumspēctus, medio tempore, quo supra dicta agerentur misit ad Dominum Papam & inter alias petitiones petivit & obtinuit (a) crucem prædicari in regnis & Provinciis à sede Apostolica tunc deputatis in subsidium terræ Pruschia, deditque idem Papa & postea Innocentius Papa IV. peregrinis Pruschiam & Livoniam visitantibus privilegia & indulgentias, sicut euntibus Hierosolymam conceduntur.

*Explicit Secunda pars Libri.*

## ANIMADVERSIO.

(a) Constantinus Magnus primus inter Imperatores Romanos Christianus vidit aliquando tempore meridiano signum crucis in Cælo cum inscriptione: In hoc vince, monitusque per quietem, ut eo signo tanquam præsidio in præliis cum hostibus committendis uteretur. Paruit salutari monito, labarumque cruce exornatum semper sibi præferri iussit in prælio, ut testantur Euseb. *lib. I. de Vita Constant. Cap. XXII. & seqq.* & Sozomen. *lib. I. Hist. Eccl. Cap. IV.* Hunc laudabilem morem imitatus Adrianus II. Pontifex Rom. sub finem Sec. XI. cum contra Saraënos in terram Sanctam esset expeditio suscipienda, vestibus illorum, qui sacra huic militæ nomen dederant, signum sanctæ crucis super scapulam dextram imprimi iussit. Vid. Petrus Diaconus *lib. IV. Chron. Cassinensis Cap. XI.* Solebant autem cruces illæ fieri ex Serico, ut ex eodem loco Petri Diaconi apparet. Solebat etiam color crucis variari, ut discerni posset, cujus Principis illi milites essent. Vid. Henr. Spondanus *ad An. 1188. n. 11. pag. 1071.* Item hoc etiam observari consueverat, ut ab expeditione hac, contra hostes Christi susceptâ reversi crucem ad collum suspensam indultu Pontificis gestarent. Vid. Spondanus *ad an. 1191. n. V. fol. 1074. col. 2.* Ejus generis cruce signati etiam fuerunt, quorum hoc loco fit mentio. Nam & illi dicti modo contra infideles, hostesque religionis Christianæ fuerunt exciti. Conf. Christoph. Besoldus *in Serie Regum Hierosolym. Cap. 11. p. 68. seqq.*

IN-